

einzelne verzeihelt 4. III. 1915

Silvest. theol. Vol. 35

~~S. 111.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-15.
SIGNAT. CISIDCCCXIII.

18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2



EXERCITATIO PHILOLOGICA 30
De
PARADISO, 29
seu
HORTO EDEN,

Quam
Trinuno moderante,
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI
DN. M. GEORGI CASP.
KIRCHMAIERI,

Præceptoris, Cognati atque Conterranei
sui perpetim colendi,
Publicè proponet

JOHANNES HENRICUS Baumgartner/
Creilshemensis Francus.

Ad d. 28. Julii, A. O. R. M. DC. LX.
hor. antemerid.

WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typographicâ J OHANNIS HAKEN.



EXERCITATIO THEOLOGICA

PARRADISO.

HORTO EDEN,

IN
TIBURINO MODERANTE,
SUB PRÆSIDIO
VIRI CLARISSIMI

DR. M. GEORGI CASP.

KIRCHMÄRTER.


Præceptoris, Collegii adque Conventus
in perpetuum celebris,
Pædagogus

JOHANNES HENRICUS SINGULARI

Civilis Scholæ Praefectus
Al. d. 23. Julii, A. D. R. M. DC. LXX.
Hort. antea edit.

WITTEB. G.
Ex Officina Typographica JOHANNIS HAKEN.





PRODROMUS.

A Er, aqua, ignis, terra, cœlum Stellæq; Deo sic ordi-
nante, conspiraverant in unum, simul & concertarant in-
vicem, utrum horum, amabiliorem pariter & elegantio-
rem Paradiso creare posset gratiam? Par omnibus studi-
um, nec dissimilis eventus fuit. Supera, media, infima, in-
meras, horto illi concinnandas amœnitates conjuraverant. Stabant folio-
rum germine renidentes arbores, quæ cum hilari fragrantia, gratas dif-
fundebant umbras, lenique brachiorum motu, jucundos obsibilabant susur-
ros. Has inter, aurifluis quatuor hinc inde amnes, omni crystallo nitidio-
rem ebulliebant undam, queruloque lapsu lapillos motitabant, unde penè
musico concentu pulsabatur aër. Vtrinque flores: ubique suavè spirans
Zephyri familia. Pomorum aurantium, Citreorum, Punicorum, Granato-
rum ac Limoniorum nullus numerus. Hinc è viridi planitie, argentea ri-
debant lilia, illinc purpurascens rosa promicabant; isthinc narcissorum
nidem & ebur, hyacinthorum sanguis & aurum acuebat; ventulus ab o-
mni parte placidissimus adspirabat. Incola Protoplasti erant illi Semi-
thei homines, natura omnibus integerrima. Nunc igitur in amœnissima i-
sta, animi expoliendi atque oblectandi causâ, exspatiabimur tempe, sed
mente tantum ac recordatione possessionum pristinarum. Corpori omnis
jam pridem interclusus, custode Cherubino, aditus ad Paradisum fuit. Dul-
ce & decorum est, non ea tantummodo curare bona, quæ domi tuæ adhuc
serves; sed & isthæc, quæ in majoribus possederis, non vili pendenda, primæ
felicis relinquantur argumenta. Sic quis non gaudet, & arcanum quen-
dam, congratulationis, nescio cuius, sibi refricat sensum? ubi de *IMAGI-
NE DIVINA*, cum *PARADISO* etiam deperditâ, differentes Theologos
videt. Illa nihil, hic autem præsertim ad nos spectat. Nos vicissim ad
montes illos, unde nostrum proficiscitur auxilium, sollicitissime spectamus!

SYLLABUS CONTENTORUM.

- | | |
|--|---|
| 1. Etymon Paradisi non est Per-
sicum. | } 6. Causa efficiens Paradisi quæ.
7. Causa Materialis. Quædam
ex Lipsio & BUCHNERO,
de hortorum gloria.
8. Formale.
9. Arboris vitæ vis & efficacia.
10. Piætarum emula excogitandi
superstitio.
11. Cujus speciei fuerit arbor vi-
tæ? |
| 2. Neg; Grecum. Sed Ebraum. | |
| 3. Evolvitur homonymia vocis. | |
| 4. Continuatur. Monspelium
Regni Gallicani delicia, &
Machometi Paradisus. | |
| 5. Existencia Paradisi asseritur
contra Nonnullos. | |



- | | |
|--|---|
| <p>ta? Fuerit ne vis illa naturalis, an supernaturalis?</p> <p>12. Utrum Vitæ arbor perierit omnino? Negativa defenditur.</p> <p>13. Arbor Scientiæ boni & mali, cujus speciei?</p> <p>14. Cur ita nominata?</p> <p>15. Adducitur vastum illud Pa-</p> | <p>radisi flumen in 4. alveos divisum.</p> <p>16. Phison notat Gangem. Hevilah Indiam. Quid Bdellium? Gichon est Nilus. De fontibus Nili.</p> <p>17. Per Chidekel, Tigris intelligitur.</p> <p>18. Finis Paradisi explicatur.</p> |
|--|---|

CAPUT I.

De

NOMINE & QUIDDITATE PARADISI.

§. I.

In Lex.
Philolog.
Tril. p.
365.

Qui Paradisi vocem, origine *Persicam*, cum D. JOHANNE FUNGERO, & POLLUCE, faciunt, dubito annon à limine aberrant? Certum id equidem, & à nullo facile sollicitandum est, quod Plutarchus in Demetrio, & Philostratus in vitâ Apollonii Tyanæi referunt: *Rex* (Persarum) *venaturus erat in Paradisorum locis, quibus leones, ursos & Pantheras includere barbari solent.* Habes Vivarium. Pollux item: *Persæ, inquit, nominabant Paradisos, ampliores hortos, δὲ δεξ ἐχούτες ἡνεπεγ.* Habes Pomarium. Hinc & *Vandalorum Regum Paradisum*, in Africâ pulcherrimum & amœnissimum, fontibus non tantum irriguum, sed etiam arboribus, pomis onustis plenum fuisse scribit. Hæc Dn. D. Fungerus. Sed malè idem: *tandem*, subjungit, *vocem illam receperunt & literæ sacre.* Quantò rectiùs Scapulæ judicium: Græcos à Persis, Persas ab Ebræis mutuò sumsisse.

§. II. Tantò minùs *Suidas*, quo se tueatur, habet. Græcam quippe derivationem quærens, à δῆμα, quod est irrigo, dncit Paradisum. Alii δὲ τὴν δῆμα ποιεία, à collectione herbarum puta. Παρὰ δῆμα enim herbarum collectionem esse volunt. Simplificissima juxta & verissima eorum est sententia, qui פַּרְדֵּי vocabulum Ebræis domesticum, & ex radi-



dice $\text{אֵילֵי הַיַּדְבָּר}$ fructuosus fuit, & דְּרֵי מַיִם myrto, compositum esse asseverant. Ut proinde Paradisus (*si vim vocum spectes*) hortum myrtorum, in quo fructificat potissimum myrti, denotet. Myrtus etenim odore & sapore, præ reliquis & excellere & reficere dicitur, arboribus. Vocem ipsam ter tantum in originali textu V. T. occurrere, SCHERÆUS in Itinerar. Psalt. rad 761. p. 608. notavit. In primis verò hinc credendum Concordantiis.

§. III. Ambiguitas, ne impedimento sit tractationi nostræ, evolvenda. Sumitur nimirum Paradisi vox (1) *pro Paradiso Spirituali & mystico*, h. e. ECCLESIA fidelium. Sic Cant. IV. 13. & Apoc. II. 7. Quamquam cum comparatione. Hinc faciunt illi multò elegantissimi, de Christo & Evangelistis rythmi:

<i>Paradisus hic rigatur</i>	<i>Fons est Christus, hi sunt rivi,</i>
<i>viret, floret, fecundatur</i>	<i>fons est altus, hi proclivi,</i>
<i>his abundat, his letatur</i>	<i>ut saporem fontis vivi</i>
<i>quatuor fluminibus.</i>	<i>ministrent fidelibus.</i>

2) *Pro Paradiso cœlestis. glorioso.* Sic Luc. XXIII. 43. ad Latronē Salvator: hodiè, inquit, eris mecum in Paradiso. Hoc item sensu, in cœlum tertium, seu Paradisum, se abreptum & sui nescium fuisse, Gentium Doctor 2. Cor. XII. 4. innuit. (3) *Pro artificiali quodam affabrè adornato, mirificè tornato, figuris variis ac picturis insigni, & huc illuc portari solito à circumforaneis, instrumento.* Ceu multis manifestum est. (4) *Pro Paradiso naturali.* Quo sensu tamen iterum accipitur non uno & eodem.

§. IV. Vel enim ut commune, vel ut Proprium adhiberi solet Nomen. Ut *commune*, apud Salomonem, in Ecclesiaste suo, c. II. 5. *feci mihi hortos & Paradisos, & consevi eos omnis generis arboribus.* Conf. Gen. XIII. 10. ubi, sicut hortus Domini, (pro quo LXX. Paradisum posuere) latissima illa planities, quam suis Loth usurpabat oculis, fuisse dicitur. Ut *proprium* adhibetur & tunc (1) *oppidum quoddam circa extremitatem in Cœle. Syria situm, cujus Ptolomæus & Plin. l. 5. cap. 23. meminit, significat.* Sic & *Monspelum (Mompelier in Languedoc/ Gallæ regione) Paradisum Machometis dici solere, Tolosani Parlamenti Praeses GRAMOND his refert verbis:* (lib. 12. Hist. Gall.



Gall. ad ann. 1622. p. 571.) non in Galliâ reliquâ, non in Europâ
 urbs, quam natura ferax, eò abundantius sexu ditaverat; nec sa-
 tis ditasse multitudine, nisi accederent venustas oris, cultus amœ-
 nior, ingenium ultra sexum liberale, urbana comitas, & (quâ ma-
 ximè valent) garrulitas, vernaculo sale respersa: quo audit apud
 apud exteros, Monspelii municipium, pro Paradiso Machome-
 tis, ubi per amoram illecebras vita transigitur. Hortum quoque
 Monspelianû regiû illû & egregium, nulli alii secundas facile
 concedere, illi denarrare sciunt, qui loca illa inviserunt. (2)
 Illum καὶ ἔξοχον sic dictum amœnissimum hortum, cujus nunc
 recensituri sumus Synonymias, notat. Deque hoc significato,
 nostram unicè locabimus opellam. Dicitur aliàs quoq; Hor-
 tus Eden, i. e. voluptatis Gen. II. & III. Aut si cum aliis rectius
 accipere velis, sume ut proprium Loci alicujus nomen, & voca-
 Eden B. Gerh. disp. XXII. Ifagog. p. 818. Appellatur etiam hor-
 tus Dei, Hortus Jehovæ, & sic porrò.

§. V. Nomine expenso, res adeunda ipsa. Hic igitur pri-
 mò omnium quærendum, an, & qualisnam locus fuetit Para-
 disus? Rudolphus Otreb, qui per literarum metathesin Robertus
 Flud (aliàs de fluctibus) est, & ex Calvinianis, in Tract. Th. ad
 frat. Ros. cruc. l. I. de vitâ c. 9. absurdum putat, Deum terrestrem
 quendam Paradisum condidisse, qui tempore tam exiguo, homini in-
 usum cedere debuerit: Gerh. loc. cit. Atque olim certè Seleu-
 ciani, terrenum Paradisum quendam creatum à Deo fuisse, o-
 mninò negaverunt. Inde factitatum, quòd tantum non pue-
 riliter colligat Origenes 4. περὶ ἀρχῶν: hand fore scilicet quen-
 quam adeò stupidum, ut Deum putet agricolam fuisse & arbores
 plantasse in Paradiso. Allegoricè potius, per Paradisum, illud Pauli
 Gymnasium, in quo Theologiam suam ipse edoctus fuerat, intelligē-
 dum esse, per flumina, supra cælestes aquas, per arbores verò An-
 gelicas virtutes. Quæ omnia tamen sicut inconvenientissima
 sunt, & creationis historiam simplicissimè conscriptam ener-
 vant omnem, & ne vestigium quidem probabilitatis habent;
 suis meritò relinquuntur inventoribus. Hic autem, ut res con-
 ficiatur melius, causarum adducendus est apparatus.

§. VI. Causa igitur Efficiens Paradisi, Deus gloriosus fuit. I-
 ta

ta quippe sacer scriptor : & plantavit Dominus Deus hortum in Eden, ab Oriente &c. Valeat nunc Cyrus, quem suâ ipsius manu plantare hortos cōsuevisse, & arbores posuisse, post Xenophontem, Cicero testatur. Sileat Semiramis, & suos sibi soli retineat hortos pensiles, ut Strabo & eum eo Plinius l. 19. c. 4. memorat. Cedat ditissimus alioquin in Asiâ Rex Attalus, quod Justinus l. 36. omisâ regni administratione hortos fodiebat, inquit, gramina seminabat. Evanescant Hesperidum pariter atque Adonidis Alcinoiq³, Regum, horti. Deus, Deus ipse Paradisi se profitetur Hortulanum.

§. VII. Causa materialis circa quam, seu objectum plantationis hujus, Hortus erat, quem Scriptura S. גן à radice גן protexit, sepimento cinxit &c. vocat. Neq³ verò sine ponderosâ ratione, Hortum, & non alium locum nostris instituit Protoplastis, Conditor, optimus. Hortus enim est, in quo veræ illæ atque innoxie reperiuntur omnis generis voluptates. Hortus est, quo nares odore fragrantium herbarum opplentur. Hortus est, quo fructuum inenarrabili dulcedine gustus identidem acuitur. De vitâ beatâ Philologorum Decus JUSTUS LIPSIUS cent. I. Epist. IX. canit:

<i>Vitam si liceat mihi</i>	<i>In solis habitem locis,</i>
<i>formare arbitriis meis:</i>	<i>HORTOS possideam atq³ agros;</i>
<i>non fasces cupiam aut opes,</i>	<i>Illic ad strepitus aque</i>
<i>non clarus niveis equis</i>	<i>Musarum studiis fruatur &c.</i>
<i>captiva agmina traxerim :</i>	

Incidit, quod apud Augustissimum BUCHNERUM nostrum, de hortorum gloriâ, in, ad hortulum domesticum, atrio, legabamus distichon :

Aurea prima fuit, nunc ferrea ducitur atas,
reliquias primi sed tamen hortus habet.

§. VIII. Formale extrinsecū illud, quo hic exornabatur hortus, in florū, arborū, breviter, omniū ad voluptatem compositorum objectorum elegantiam, ubertate suavitateq³ consistebat. Placēt & huc faciunt Augustini ex lib. 14. de Civ. D. c. 26. verba : *Vivebat homo in Paradiso, sicut volebat, quamdiu volebat, quod Deus jussit : vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus. Vivebat sine*
ullâ

ullâ egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus ad-
erat, ne illum senectâ dissolveret &c. Præprimis verò commenda-
tur (1) ab Arboribus. (2) à fluminibus.

§. IX. Arborea duàm cum primis generum in specie com-
memorantur: Arbor vitæ, Arbor item scientiæ boni & mali.
Arbor vitæ in meditullio Paradisi sita, sic dicta est, quòd esu
usuq; fructuum ex arbore isthâc petendorum, Protoplasti, vi-
tam illam naturalem, & qualem ab initio quidem acceperant
incorruptibilem, in perpetuum, quoad usque Deo aliorsum
illos promovendi, placuisset, prorogarent. Idque non tam
ex indigentia, quam liberrimâ Dei hoc modo dispensantis, be-
neplacentiâ, factitatum. Neque verò cibus tantum, sed miræ, si-
ne omni dubio, virtutis pharmacum fuisse rectè statuitur à
Cornelio à Lap. in Comment. super Gen. c. 2. f. 70. Hic enim
nobilissimus arboris fructus, calidum innatum cum humido
radicali, quod à calore naturaliter absumitur, restaurasset for-
titer & apparatus virium, novo redintegrasset pabulo, ut
quotiescunq; eo quidem vesceretur Adam, caro ejus semper
quasi refloresceret. Ita Dn. D. Walther in Spong. Mos. p.
256. quo cum apprimè consentit Dn. D. Kesler in Phys. Photin.

§. X. Hinc illa Poetarum fluxere commenta æmula. *Nep-
etar* nimirum & *Ambrosia*, quæ dicta esse putatur, quasi sine
morte, ab *Hesiado*. Homero *Moly*, homines ad juventutis re-
vocans vigorem, ut Plin. l. 25. c. 4. habet: aliis *Nepenthes*, o-
mnem luctum dolorisque sensa adimens, appellatur. His æ-
nigmatum involucris, sacras adulterati scripturas sunt, Poetæ
& Philosophi. De Nasone, in describendâ mundi historiâ, ut
ex i. Transformationum libro patet, nullum dubium est. De
Platone plus satis quoque constat. De Agamemnonis, Iphige-
niam immolantis, sive fabulâ, sive historiâ, ex Abrahami aut
Jephthæ rebus, olim gestis, petita, *Neander* part. 2. oper. aur.
notis in Tryphiodor. p. 225. & *Ludovicus Capellus*, in, de voto
Jephtæo, Diatribe, consulendi.

§. XI. Sive autem Vites, sive ficus, quòd ex eâ Proto-
plasti subligacula sibi confecerint, sive malus, & ea vel Gra-
nata

nata vel Citrea vel alia fuerit? nostrum non est determinare. Scripturâ enim ipsâ hîc tacente; quis loquatur? Hoc interim non negandum, quòd plerorumque sententia pro pomo stet hîc loci. Sed probabilia sunt ejusmodi; definienda non sunt. F. Felix Faber in itin. ad Sacr. Bust. scribit: *Man findet seltsame Dinge/die aus dem Paradies kommen/ als Pappeln/wem der ein wird und darvon isset/lebet viel Jahr in Gesundheit.* Id saltem curiosius quæritur à S. holasticis: *utrum vis illa in arbore, fuerit naturalis, an verò supernaturalis?* Hîc etsi commo-
diori fortè loco nostra stetit modestia, si silentium responsi-
oni antetulissemus: ne tamen necere saltem, resolvere autem nequaquam videamur nodos, ecce tibi B. Gerhardi super hæc, judicium. *Naturalem fuisse, probabilius censendum, quia si fuisset hæc vis supernaturalis, non adfuisse arbori, post peccatum hominis, nec peccatori homini profuisset; jam verò etiam post peccatum fuisse illam virtutem in arbore vitæ, ostenditur ex eo, quòd homo Angelicâ custodiâ, ab eâ fuerit prohibitus.*

Disp.
XXII. 1-
Sag. p. 829.

§. XII. Nos hoc potiùs attendemus, quæsituri: *utrum arbor isthac vitæ, ut nonnullorum fert sententia, perierit omninò?* Negativa autem non potest non placere. *Primò, quia ad mundi integritatem, & ad certam corporis naturalis speciem spectaverat prædicta arbor. Si quid verò per lapsum decessisset, per omnimodam alicujus speciei absentiam, mundi periclitaretur unio, & integritas ejusdem non parùm labefactaretur. Deinceps, nec vola nec vestigium de interitu arboris istius, in Pandectis sacris reperiri potest. Id quidem dicitur, quòd Cherubino ensifero custode, aditus ad arborem vitæ interclusus Protoplastis fuerit; quòd perierit, ne γρὺ aut μὲν habetur. Proben-
t igitur, contrarium qui sustinent, sed & determinent hî ante, qualis & cujusnam speciei arbor vitæ fuerit? hærebunt certissimè.*

§. XIII. Arbor verò scientiæ boni maliq̄ue, ex cujus comestione mortem ipsam cum temporalem tum æternam accersiverunt sibi Protoplasti, *qualis iterum fuerit speciei, & cur sic denominata?* non laborabimus ultra vires. Pro Ficu pronunciare scio Procopium, & Del-Rio. Idq̄; idè, quòd statim ubi

B

CO-

comederunt, & se nudos conspexerunt, pudore suffusi, cooperuere corpus. Contexerunt autem se foliis ficus, quæ vicina erat maximè. Verùm conjecturam hanc esse, nemo non intelligit. Pro malo tamen stare videntur *Johannes de Monte Villâ Anglus, Frater Felix Faber, ordinis prædicatorum, Johannes Tüchern/ & alii.* Quanquàm ne de nomine quidem, hætenus convenerunt. Alii enim Musy, ut *Melchior à Seidlitz.* Itali *Pommo d' al Adamo, Simon Majolus* verò Maus vocat. Quicquid fit, res decisa nondum est, licet huc accommodetur id, quod Cant. VIII. v. 5. dicitur.

§. XIV. De appellationis autem ratione, divortia sententiarum passim legas. *Bonfrerius ex Ruperto & Tostato,* ironicè arborem hanc sic denominatam, jam ante fuisse, autumat. Cùm reverà potius vocanda erat arbor futuræ mortis. Communis tamen & fortassis optima responsio est, arborem hanc, per anticipationem quandam, sic fuisse dictam ab eo, quòd usum ejus consecuturum de facto foret, ut experimentalem quandam boni maliq; cognitionem, exinde, proh dolor! haurirent fœdifragi & immoderati comestores.

§. XV. Neq; verò proletarium Paradiso conciliabat ornamentum, fluminis ex Eden, ad irrigandum hortum, egredientis, & in IV inde capita divisi, *amœritas.* Quà de ita sacer Historicus. *Et fluvius egrediens ex Eden, ad irrigandum hortum, & inde dividitur in 4, capita. Nomen unius Phison, circumiens universam terram Chavilam, ubi est aurum. Et aurum terræ illius bonum, ibi bdellium & lapis Onyx. Et nomen fluvii secundi Gichon, hic est, qui circumit omnem terram Æthiopiæ. Et nomen fluvii tertii Chiaekel, ipse labitur ad Orientem Assur. Et fluvius quartus ipse Euphrates.* Hic, quis ille cardinalis fluvius, in 4 divisus capita, fuerit, sollicitè disquiritur. *Junius* quidem in comment. super 3. pr. capit. Gen. p. 103. Euphratem intelligendum esse vult: Pererius verò, Euphratem & Tigrim. Nos Historico sacro adherentes, partes cum toto nolumus confundere. Partes sunt, & ex priori velut toto aut collecto quodam, resultantes fluvii, Euphrates & Tigris. Non igitur totius nomine venire possunt, qui partis duntaxat obtinent appellationem. Partes nimirum

mirum sunt *Phison, Gichon, Chidekel & Euphrates*. Totum collectum, flumen illud innominatum est, & manet.

§. XVI. Per *Phison, Gangem* Indiæ fluvium intelligi oportere, nullum inter & Historicos & Geographos facile est dubiū. Hic ille gemmifer & auri sæcundus ex Scythicis (& Caucaſo quidem) oriundus montibus, est fluvius, ut *Doctissimus Cluverius* in *Introd. Geograph.* l. 5. c. 7. p. 165. notat. Quo cum conspirant ea quæ *JANSONIUS* in *Asia* tab. recenset. *Chavilah & Hevilah*, filio illo *lectan* dici, atque *Indiam*, sive utramque, sive alterutram imprimis, h. e. intra *Gangem* significare, eruditi notant. Per *Bdellium*, Hebræi communiter *Crystallum*, *Dioscorides* verò *arborem Saracenicam* LXX. *Carbunculum*, Latini quidam *Margaritam* intellexere. De *Onyche & Sardonyche*, alibi in, de *Gemmis*, disput. dictum fuit. Per *Gichon*, Nilum indigitari, nemo nisi literarum hospes, dubitabit. Hic est qui circumit omnem terram *Æthiopiæ*. Fontes ejus ad *Lunæ* montes referunt communiter, sed præter *Pomponii Melæ* dubitationes, expressum *Rudolphi Kircheri von Suchen* in *descript. Orient.* ut & *Per illustriſſis Comitissæ DN. JOH. à Solms*, in *relat. Navigat. ad Sepulchr. Salvat. disensum* deprehendas. Verba sunt: *Es haben in vergangenen Zeiten viel Sultanen sich unterstanden zu erfahren/ wo der Nilus seinen Ursprung habe/ und haben etliche Schiffeleute in Schiffen/ auff drey Jahr mit allerley Nothdurfft versehen/ außgesand. Aber da dieselben weit hinter Indiam kommen/ mußten sie wiederkehren/ weil sie kein Ende des Flusses Nili finden können.*

§. XVII. Per *Chidekel*, *Tigris* fluvius, qui in *Armeniâ* majore ortus, à celeritate *Tigris* (ita appellant *Medi sagittâ*) insignitur. *Assyriam Mesopotamiamque* discriminat: *Aflur* h. e. *Assyriam*, aquarum, non modico, auctu, irrigans egregiè atq; sæcundans. *Euphrates* verò, qui *Accolis* hâc tempeſtate *Frat*, sicut olim *Pyxirates* dicebatur, cum *Tigri*, *Mesopotamiam* (quæ inde quoque appellationem traxit quasi μέγαν Τύρον ποταμόν) à *lævâ* limitat: à dextrâ verò *Syriam, Arabiam Baby-*

Ioniamque alluit. De quibus tamen & similibus, Geographi sunt consulendi potius. Nos ad nostrum redimus institutum, & finalem Paradisi causam, ob quam institutus ille à Conditorum summo fuit, vel tribus delineamus elementis.

Gen. 2, 15.

§. XIIX. Erat autem hic imprimis Paradisi finis, ut mirificam homini primævo recreationem juxta atque cum utilitate, delectamentum maximum crearet. Quanquam non ut nudum spectatorem, sed actorem, sed cultorem horti noviter collati, Adamum constituerit Naturæ Dominus. *Et sumsit, inquit Moses, Dominus Deus hominem, & posuit eundem in hortum Eden, AD COLENDUM EUM & CUSTODIENDUM EUM.* Natus igitur ad laborem homo, jam ante quoque lapsus erat; sed eum tamen *jucundum*, non *molestum*: *secundum* non *frustraneum*: *utilem* non *insalubrem*. Nunc, proh malum! *inversa* universa.

CAPUT II.

De

NONNULLIS PARADISI ADJUNCTIS.

ARGUMENTVM.

- | | |
|--|---|
| <p>1. Paradisus nõ situs fuit sub Æquinoctiali. Sed nec in altissimis montibus.</p> <p>2. Non fuit cælum ipsum, aut in cælo. Nec universus mundus: sicut nec Zeilan Insula.</p> <p>3. Confutantur opiniones sequiores.</p> <p>4. Probabile multis est, situm eum fuisse circa Damascum. Philippus Melancht. non dubitat amplius.</p> <p>5. Probabilius, secundum alios, circa Babylonem fuisse pu-</p> | <p>tatur. Judicium Joann. de Mey.</p> <p>6. An in oriente situs? Explicatur τὸ Ἰσραήλ.</p> <p>7. Quando institutus Paradisus?</p> <p>8. Quamdiu duraverit? an non diluvio obliterated fuerit? Negat Bellarminus. Refutatur.</p> <p>9. Utrum animalia bruta quoque fuerint in Paradiso? Negat Damascenus. Deseritur. Dantur rationes. Arceatur Phœnix.</p> |
|--|---|

§. I. Hic

§. I. Hic ante omnia sollicitos, de Loco Paradisi, nos esse, decet. Hæc verò illa quæstio est, multorum naufragiis ingeniorum nobilitata. Sunt, qui cum *Lyrano, Damasceno, Thomâ Aquinate* illo, & *Campano*, sub Æquinoctiali circulo constituent, nomineq; gladii, torridam intellectum eunt Zonam. Sunt qui in altissimis montibus locarunt Paradisum, ad lunæ concavum usq; excurrentem. Credo quòd obtinere voluerunt immunitatem ejus à Diluvio. Hanc communiter, sententiam attribuunt, ap. *Petr. Lomb. sent. 2. dist. 17. Rabano, Ruperto, Strabo*, (Monachus Fuldensis fuit, pòst, Decanus ad S. Gall. in Helvet.) atq; *venerabili Bedæ*. Certè *Augustinus*, (si qua *Ambrosio Calepino*, super hæc voce fides) ab eâdem vix alienus est sententiâ. Verba Calepini sunt: *Divus Augustinus, de Paradiso sic sentit: Paradisus (inquit) in oriente situs est, interjecto oceano & à nostro orbe longè remotus, in altissimo loco constitutus, pertingens usq; ad Lunarem circulum. Unde illuc aqua diluvii minimè pervenisse dicitur.*

§. II. Nondum autem errorum finis est. *Philo* quippe *Judaus*, per Paradisum cælum intelligit. Sed hanc ejus opinionem improbat & rejicit *Theodoretus* multis sanè modis. Conf. *h. l. D. Fungorum* in *Etymologico Trilingv. p. 565*. Mundum universum Paradisi nomine venire, *Johannes Ferus*, *Comment. super Gen. c. 2. p. 60.* his innuit verbis; *mundus universus verè hominis Paradisus fuisset, si non peccasset, econtrâ nunc propter peccatum, nihil aliud est, quàm vallis lacrymarum &c.* Invenias nonnullos, qui in *Insulâ Orientis Zeilan*, cum *Odoardo Barbosa*, *Surio* item de Anno 1565, & aliis, Paradisum, propter aëris salubritatem & bonorum omnium ubertatem, quæsiverunt. Miror quòd *Utopiam* omiserint, & *Elysios* illos *Poëtarum Campos*, sine quibus minùs hîc somniarunt suaviter.

§. III. *Prima* enim opinio, vel ex hoc, nullo ferè refutari negotio potest, quia in Oriente potiùs quàm Meridie, institutus Paradisus legitur. Neque tam in Zonâ torridâ, quàm legitimè adhuc temperatâ. Rectè *Dn. David Christiani, Philosoph. quondam & Mathem. P. Marpurgensis in Syst. Geograph. gen. c. 24. p. 318.* quòd nullus inibi sit terrestris Paradisus, verùm potiùs

in quàm plurimis locis noxia cadant pluvia, nauta, Geographi, milites testantur. Secunda verò vix meretur disquisitionem. Somnium dixeris: responderis. Neque enim in aëre sed in terrâ Orientis, ordinasse Paradisum, legitur Naturæ Plastes, Deg. Tertia Paradisum naturalem confundit cum cœlesti, & confutata jam olim, ut monebamus supra, à Theodoro fuit. Quarta confundit partem cum toto, & simplicissimam Historiæ sacræ literam distorquet sensu quodam tropico. Quinta, præterquàm quòd incommoda inexpiable ferè, de distantia, de marium interjacentium vastitate &c. inferat, & ex Paradiso insulam conficiat, vel ideò rejicienda venit, quoniam, si ex solâ aëris salubritate & bonorum naturalium præstantissimorum, ubertate Paradisos illicò confingere deberemus, nullus ferè eorum tandem futurus erat numerus.

§ IV. Probabilior videri eorum poterat sententia, qui in Viciniâ Damasci, haud ita procul ad Hierosolymis locârunt Paradisum. Pro quâ opinione stant Eugubinus, Hieronymus ab Oleastro, Frater Felix Faber Ord. Prædicat. in sua versus Orient. itiner Rudolphus Kirchherr von Suchen / & teste Meibomio in Notis ad Sleid. de quatuor summ. Imp. Philippus Melanchthon, cujus hæc sunt verba: sedem primorum Parentum fuisse in regione viciniâ Damasco, extra omnem controversiam est. Et huc referri insignis ille, licet mysticè intelligendus, in literâ tamen fundatus locus, pro sententiâ horum potuisset, qui habetur Cant. IV. v. 13. 14. & 15. Plantationes tuæ sunt Paradisus malorum Panicorum, cum præstantissimis fructibus. Cypri cum nardo, nardus & Crocus, fistula & Cinnamomum cum universis lignis Libani myrrhâ, & aloë cum precipuis aromatibus. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

§ V. Veleorum etiam non absurda est responsio, probabiliter loquentium, locumque Paradiso designantium in Mesopotamiâ ac Chaldæâ, maximè circa Babylonē. Hic n. Tigris & Euphrates, quatuor flumina cōstituunt suo concursu, supra Babylonem autem, uno recipiuntur alveo, & infra rursus in duo dividuntur flumina. Pro quâ sententiâ citari à nonnullis solet locus Gen, XIII. 10. sed neque hîc, quod mentem veri-

veritatis avidam sollicitare possit, deest. Quæri enim poterat, cur duo flumina, licet in quatuor aliquandiu divisa partes, quatuor distinctis, in Hiltoriâ Mosaicâ, veniant nominibus? Hoc illud est, quod initio monere volebamus: nihil certi & determinati, hoc de quæsito affirmari posse. Parum tamen abest, quin placeat iudicium JOANN. de MEY, *Ecclesiastæ Mediodurgensis*, in nuper editâ Physiolog. sacr. p. 25. duos illos alveos, quorum alterum appellat *Moses*, *Phison*, alterum *Gichon*, rectè appellaveris eruptiones quasdam *Tigridis* vel *Euphratis*. Magnis enim fluminibus sepe contingit, in varios dissipari alveos, quos vulgò ramos vel brachia appellant. Nec mirum videri debet, hosce fluvios, *Phison* & *Gichon*, vel nunc non esse, (hoc verò nudè conjici non debebat) vel non memorari à *Cosmographis*: constat enim, complures alveos aut exaruisse, aut per alia loca, cursum suum avertisse & deflexisse &c. Quid quòd propria locorum atq; fluminum nomina mutata esse, non ignoramus. Hæc suprâ dict. Joann de Mey.

§. VI. Id saltem nobis relinquendum erat, τὸ ἄρχη hoc loco non vel à *Principio*, ut *Onkelos* vertit, vel *ab exordio*, ut *Hieronymus*, vel ἐκ πρώτης, ut *Symmach:*, vel ἐν πρώτοις, ut *Theodotion*: breviter, non tempus, sed locum & situationem significare. Et talem quidem locum, qui in Oriente erat, non, qui orienti tantùm, (exclusis aliis mundi cardinibus) obversus fuerit. Latissimum quippe atque spatiosissimum fuisse *Paradisum*, magna illa aquarum colluvies ad irrigandum hortum destinata, animalium item omnis generis, ad *Adamum* adductio, omnigenarum arborum præstantissimarum præsentia, & alia, indicio esse possunt.

§. VII. *De Tempore*, quando nimirum institutus *Paradisus* sit? Interrogatum inter eruditos est non semel. *Hieronymus*, à *Principio*, respondet. Fallitur *Hieronymus*, & sacræ obloquitur historiæ. Hoc certum est, extitisse post hominem formatum, *Paradisi* amœnitates. Ante mundum verò creatum non fuisse, plus satis constat. In ipso verò temporis principio, *Deus* creavit cælum & terram. Hortus igitur tum ordinatus, cùm *Adam* formatus esse legitur.

§. VIII.

§.VIII. De *Duratione*, utrum nempe adhuc super sit *Paradisus*, à nemine licet ad eundem, an verò à diluvio universali oblitteratus, penitus intercederit? quæsitum curiosè à non paucis fuit. *Bellarminus* sanè lib. unico de grat. prim. hom. c. 12. & 14. adhuc extare *Paradisum*, dogmaque hoc, ad fidem catholicam referendum esse, arbitratur. Pro quâ sententiâ citari quoq; solent *Irenæus*, *Augustinus*, *Beda*, *Alcimus Avitus* & *Thomas*. 1. part. qu. 102. art. 1. *Bellarmino* tamen, præter elumbes quasdam ratiunculas, quas pro abundantia sensus sui confingere quisque potest, auctoritates jactitanti, auctoritates alias opponimus: Utpote *Greg. de Valentia*, *Cornel. à Lap. Cass. Sanct. Blas. de Vieg. Maldonat. Genebr. Perer. Suarez.* citatos maximâ parte, cum pluribus aliis, apud *Gerh. disp. XXII. Isagog. c. 9. p. 820.* Rationes verò sequentes obtinebunt facilè. Quia universa terræ superficies aquis obruta altè atque devastata fuit. Quia hominis causâ institutus *Paradisus* fuit. Cessante igitur fine, cessat etiam perpetua illa & ab omni aquarum injuriarum vé aliarum oppressione præservatio. Et quid verbis opus est, eventu ipso rem comprobante.

§: IX. De comitatu, vel, ut sic loquar, conversatione Incolarum *Paradisi*, paucissima adhuc adnectenda videbantur. Quæri enim non immeritò solet: utrum animalia quoq; bruta fuerint in *Paradiso*. & Negativam defendit *Damasce. l. 2. de Orthodox. fid. c. 11.* inquit: Solum omnium animalium, Hominè fuisse in *Paradiso*. Veruntamen inconvenientem hanc esse sententiam, vel ex sequentibus liquere poterat. Serpens quippe hominem, in ipso, seduxit *Paradiso*. Præterea avicularum modulatissimus concentus, non exiguum hominibus *Paradisiacis* paraverat delectamentum. Adde variorum generum, in *Paradiso* vastissimo flumine, Pisces. Sed nec Dominium homini primævo super animalia universa datum facile omitte. Neque enim commodè in id, quod abest, licet, dominari. Arcendus interim à *Paradiso* fabulosus PHOENIX, quem *Paradiso* inseruit *Lactantius Firmianus*.

SOLI DEO GLORIA.




Aug VI 15


ULB Halle 3
003 865 746


Sb.

Reho
VD 17
KD 18
Z







PHILOGICA

30

De

29

ADISO,

seu

EDEN,

Quam

o moderante,

PRÆSIDIO

CLARISSIMI

ORGICASP.

HMAIERI,

gnati atque Conterranei

etiam colendi,

publicè proponet

HENRICUS Baumgartner/

mensis Francus.

A. O. R. M. DC. LX.

antemerid.

TEBERGÆ,

phicâ | JOHANNIS HAKEN.